

SECVLUM  
XII.

ad successorem, sed ad castellum referenda sunt, idque ad mentem anonymi, non de Wirtemberg, sed de Windenberg, uti antea scripserat. Nec refert, quod hic non addatur *de Bogen*, uti prima vice: ibi enim fermo est de Adalberto I. comite de Bogen, qui simul castrum Windenberg, seu Windberg, maternæ hereditatis iure primus cum Bogenfi coniunxit; unde Conradus, Luitgardæ frater, nonnisi de Windenberg scribi potuit, unde ipsa quoque fuit.

Igitur ex hucusque dictis, alterutrum colligi posse videtur, anonymum videlicet nostrum in altero loco de Conrado *de Wirtemberg* vel ex inadvertentia scripsisse loco de *Windenberg*, vel ex nominum similitudine ac personarum homonymia deceptum, quæ in utraque hac familia & eodem fere tempore obtinuit: utrobique enim ex indubitatis monumentis habetur Conradus frater Lutgardis, cuius filius eidem Conrado successit. Ut adeo nihil proclivius fuerit auctori post secula fere scribenti, utraque hæc diversæ familiæ nomina inter sese confundere.

Verum auctorem nostrum prosequamur, qui Luitgardam Adelberti comitis matrem adstruit. Sed cuius? primi an secundi? eius enim verba utriusque aptari possunt, ut ea legenti patet; quamvis enim deinceps scribat, *a talibus progenitoribus* ortum esse Adalbertum iuniorem, numquam tamen Luitgardam dicit Adelberti senioris coniugem; & aliunde Luitgarda, ceu avia inter eius progenitores iure computari valet. Omisissis vero aliorum opinionibus, Luitgardam, Adalbertum, cæterosque ab anonymo recensitos, in alia familia, comitum nempe de Bogen & Windenberg, inquirimus, quos omnes etiam nobis exhibet tabula genealogica istorum comitum in Monumentis Boicis expressa. Ibi primo loco occurrit Hartuicus I. sator comitum Bogenfium, ac secundus eiusdem filius Afcuinus de Zidlarn, quem alii etiam Afchwinum seu Æschwinum vocant, cui uxor ibidem tribuitur *Lutgardis de Windberg*, quæ Albertum seu Adalbertum I. de Bogen progenuit. Atque hanc ipsam esse existimamus Luitgardam, quæ deinceps in Beroviensi cœnobio monialem induit. Fuerunt quidem, qui illam non matrem, sed coniugem Adelberti I. facerent, sed contra dictæ tabulæ fidem, ubi Adelberto Hadwigis de Cileia uxor tribuitur, quæ insuper marito an. 1147. defuncto 13. annis supervixerit, anno demum 1162. mortua. Igitur Luitgarda, quæ vidua cœnobium ingressa dicitur, nec prima nec secunda Adelberti I. uxor esse potuit, sed eius omnino mater extitit, coniux vero Afcuini. Hic in citatis monumentis Boicis sub tribus abbatibus, quorum primus an. 1062. ultimus autem an. 1098. obiit, ecclesiæ Nider-Altachensis advocatus legitur. De mortis eius anno non constat: certe